

*De indisciplinatorum militum Paradeyseri in condescensionibus rapiendi licentia  
praecavenda.*

Articulus 38.

Cum autem manifestum sit, praemissos Milites Rudolphi Paradeyser et extra Regnum collocatos esse et ad Confinia Carlostadiensia; ad avertendos hostiles impetus, frequentissime, per Partium illarum Regnicolarum Dominia excurrere, effraenataque militari in condescensionibus et rapinis uti licentia et nec eorundem Capitaneum multum revereri:

§. 1. Quo tantae eorundem exorbitantiae, effraenataque rapiendi licentia praescindatur et praecaveatur; medio eorundem Dominorum Commissariorum, Sacratissima sua Majestas benigne modum adinvenire dignetur, Status et Ordines supplicant.

*Ne ob injurias Regnicolis Croatiae et Sclavoniae illatas, suae Majestati querelis molestiae causentur; Capitanei et Officiales Confiniarii Legibus Regni subesse debeant.*

Articulus 39.

Et ne deinceps praemissi Regnorum Croatiae et Sclavoniae Regnicolae tantis et tam frequentibus afficiantur injuriis, Sacratissimamque suam Caesaream et Regiam Majestatem tanta earundem congerie molestare cogantur:

§. 1. Supplicant Status et Ordines, Majestati suae Sacratissimae; ut et dictos Capitaneos, sive Officiales Confiniarios, juxta Regni hujus Constitutiones, Legibus Regni subjicere; ac ejusmodi eorundem errores, comperta rei veritate, condigna animadversione juxta Anni 1618. Art. 33. et Anni 1622. Art. 49. emendari curare; et modum, quo ejusmodi querelae cessent, adinvenire clementer dignetur. \*)

*Subreptitia Valachorum privilegia cassantur.*

Articulus 40.

Posteaquam Sacratissima sua Caesarea et Regia Majestas benigne sese resolvere dignata est, nunquam eandem illius intentionis fuisse, ut praescripti Valachi in praejudicium juris alieni privilegii aliquibus donati fuissent: \*\*) Quinimo, ut medio Commissionis, Dominis Terrestribus, pro cujuscunque justa praetensione satisfactum fieret, benignissime intendisse; Eadem proinde eorundem Valachorum Privilegia, qualitercunque et quandocunque, sub quacunque verborum forma, emanata, cassantur et annihilantur. \*\*\*)

\*) Urgetur; An. 1638. a. 22. et 51.

\*\*) Confer; p. 1. t. 10. et seqq.

\*\*\*) Similiter annihilantur; An. 1659. a. 90. An. 1681. a. 64. Confer. etiam; An. 1715. a. 113.